

illius peccant, aut ex metu justitiæ animum despondent. 5. Simile quid etiam evenit spiritualibus hominibus, quando suum spiritum volunt esse omnium; quasi non essent varii spiritus, modique serviendi Deo, ab ipso inspirati; cum scriptum sit: *Sup. 7. 22. Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex. Et hi igitur quasi Deo aliquid subtrahunt, et limitant ejus sapientiam.*

## PUNCTUM III.

*Matt. 16. 15.* Confessio apostolorum. *Vos autem quem me esse dicitis?* 1. Quærit jam ex iis, tanquam melius institutis: et quærit, ut magis eos confirmet. Quæram ego ex animâ meâ, quid de Christo, ejusque virtutibus, et quàm sublimiter sentiat. 2. Cum omnes interrogarentur, prævenit Petrus respondere;

tum ob fervorem et zelum pro magistri honore; tum quia Christus specialiter illum movit, dando extraordinarium lumen illius fervori. Tanti est cum fervore agere: sed humilitate servatâ, ne te præferas.

3. Confessio Petri, *tu*, qui ab aliis Elias, vel Baptistâ, vel propheta haberi, *es Christus*; ille Messias, Judæis promissus; ille *desideratus cunctis gentibus*; ille *Sacerdos æternus secundum ordinem Melchisedech*; ille propheta, quem audire omnes debent; ille Sanctus sanctorum, ille unctus oleo justitiæ præ participibus suis. Ad hæc: *Tu es Filius Dei vivi.* Non Christus, ut alii etiam vocârunt, sed *Christus Filius Dei vivi*, quippe vitalem habentis ge-

Errant  
boni  
Christum  
arctantes.

Petrus  
primò res-  
pondet.

Tu es  
Christus.

Ass. 2. 8.  
Ps. 109. 4.

Matt. 16.  
Filius  
Dei.

*Petrus Divin. Christi confitet.* 525  
nerandi virtutem, et generandi sibi consubstantialem Filium. Et ideò es Filius non adoptivus, sed naturalis.

## PUNCTUM IV.

Comprobatio confessionis. 1. Ait: *Beatus es*; *Ibid. v. 17.* nam fundamentum beatæ vitæ est, nosse Christum. 2. *Simon*, quod significat obedientem; *Barjona*, quod est filius Columbæ, seu filius Joannis, quod est, gratiæ. Omnia quadrant in rem præsentem, in quâ Petrus se talem exhibuit. 3. *Quia caro et sanguis non revelavit tibi*; non est humani captus. 4. *Sed Pater meus qui est in Cælis*; quo profitetur se verè talem esse, *Filius Dei vivi*; siquidem agnoscit à Patre cœlesti venire hanc confessionem.

## PUNCTUM V.

Remuneratio confessionis. Continet plures prærogativas. 1. Est impositio nominis *Petrus*, seu *Petra*, quam significat *Cephas*; et prædixerat Christus ita aliquando vocandum. Nec nomen inane tribuit, sive, absque soliditate veræ petræ, qualis esse debet is qui fundamentum. 2. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Procul dubio super hanc, quam nominaverat *Petram*; nominaverat autem sic ipsum Simonem. Constituit igitur illum Ecclesiæ militantis fundamentum et caput visibile, post ipsum Christum. 3. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; quippe fundatam à sapiente architecto; non

Non na-  
turaliter.  
Sed à  
Deo.

Merve-  
s. Petri.  
Petrus.

Juan. 1.  
42.

Matt. 16.  
18.  
Caput  
Ecclesiæ.

Perseve-  
ran-  
tiam Ec-  
clesiæ.

super arenam, sed super petram. Certi reddimur de soliditate hujus petrae: ut nec flumina, nec venti, nec imbres possint eam subvertere, Christo ipso fortitudinem impertiente petrae fundamentali. 4. *Et tibi dabo claves regni Caelorum: clavem scientiae, ad veritates fidei proponendas et declarandas sine errore; et clavem potestatis, ad remittenda peccata, et omne impedimentum auferendum, quo arcemur à Caeli ingressu. Atque hæc Petro data sunt propter Ecclesiam ipsam; et ita propter me.*

*Ibid.*  
§. 19.  
Potestas  
et scientia  
clavium.

### MEDITATIO XXI.

*Transfiguratio Christi.* Matt. 17. Luc. 9.

#### PUNCTUM I.

*CUR* voluit transfigurari? Ut latentis gloriae, in carne patibili, daret specimen; ut animaret discipulos, spe participandae similis gloriae, ad ferendam crucem, et quia in hac vitâ Deus facit suos prælibare æternam. De quo dixerat: *Sunt de hinc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.*

*Matt.* 26.  
23.

*Causa*  
*transfigu-*  
*rationis.*

#### PUNCTUM II.

*Tempus*, et locus. Tempus, fuit in medio cursu prædicationis suae; deinde, sex diebus interjectis, ex quo hortatus ad crucem, promiserat aliquos non gustaturos

*Deus citò*  
*dat.*

gustaturos mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute. Non diu differt promissa Deus: et aliunde, quidquid est, quasi horâ est: *Mille anni, ante oculos tuos tanquam dies hesternæ.* Sex dies significant tempus præsens; post quod sequitur sabbatum requiei. Locus, fuit mons segregatus: quippe Deus se communicat segregatis à curis mundi, et celsitudinem perfectionis conscendentibus: *Quis ergo dabit mihi pennas, et volabo? Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Ibi ad cor loquitur Deus.

*Marc.* 8.  
39.

*Ps.* 89. 4.  
In solitu-  
dine Deus.

*Ps.* 54. 7  
et 8.

#### PUNCTUM III.

Qui spectatores. Tres fuerunt ferventiores; ut constet, non omnibus justis impertiri extraordinarios hosce favores; et quia, si omnes, etiam Judas debuisset participare. Nam solus prætermitti, absque notâ, nequibat. Sed neque semper ferventioribus ista dantur, sed pro dispositione divini consilii: ne quis despondeat animum, si posthabeatur. Certè Andreas, ex præcipuis, non adfuit. In tribus discipulis designantur tres virtutes, quæ eminerere debent in oratione, ut anima transfiguretur: In Petro, viva fides; in Jacobo, spes firma; in Joanne, caritas ardens. *Emitte, Domine, lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deducunt et adducunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Inter orandum Christus transfiguratus est. Ibi participantur tales gratiæ: splendet facies ab illustrationibus divinis, radiosque mittit suavissimorum affectuum; candescit

*Socios*  
*elegit fer-*  
*ventissi-*  
*mos.*

*Tres dis-*  
*cipuli.*

*Tres Vir-*  
*tutes*  
*Theolo-*  
*gicæ.*  
*Ps.* 42. 3.

*Orationis*  
*virtus.*

vestis ab operibus sincerissimæ intentionis, denique  
2 Cor. 3. 18. transformatur anima, ut dicit Apostolus: *Revelatâ facie gloriam Domini specularantes in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem.*

## PUNCTUM IV.

Gloria Jesu. Splendor. Matth. 17. 2. Modus transfigurationis. Gloriam corpori debitam continuerat Divinitas, quam nunc effundit in corpus: *Resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Excessit gloria ista utrumque: sed non habuit Evangelista aliquid majus, cui eam compararet. Gratulabor Christo, et sacro ejus corpori; cui ad modicum tempus imperita est gloria, quæ post resurrectionem fiet æterna.  
Thren. 4. 7. Hic est verè Nazaræus: Candidior nive, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, et saphiro pulchrior; *candidus et rubicundus, electus ex millibus, pulcher ut luna, electus ut sol.* O Domine! et hæc gloria, propter me, fraudasti carnem tuam per omne tempus vitæ mortalis! Quantum ideò tibi debeo, ô Domine! Quidni ego nunc carnem meam privem omnibus jucunditatibus, ut vicem aliquam rependam?

## MEDITATIO XXII.

## Consecuta Transfigurationem.

## PUNCTUM I.

MOYSES et Elias circumstant Christum. Ideò isti potissimum, quòd notiores, et à sanctitate celebriores; quòd maximè zelantes pro lege et populo Dei; quòd quadragenario jejunio et accessu ad montem, ubi divinorum mysteriorum et incarnationis Dominicæ participes facti sunt, in primis excelluerunt. Visi autem ipsi sunt in magnâ gloriâ, ad ipsius Christi majorem honorem, cui famulabantur; et ut intelligeretur justos fore similes suo capiti. Quæ illorum lætitia, viso Redemptore! quas egerunt gratias, quàm reverenter adorârunt! *Loquebantur autem cum Christo de excessu, quem completurus erat in Jerusalem; de passione et morte.* Verè fuit excessus dolorum; sed et meritum ac satisfactorum, supra totum debitum generis humani; excessus denique amoris, quo indigni eramus: alioquin, excessus è vitâ intelligitur. Sed quorsum in gloriâ mentio passionis? Sic illam amabat propter nos. Et docemur consolationes esse ferendas, ad patiendum fortiter pro Christo: quod, quantumcumque erit, excessus non erit; sed multò infra debitum nostrarum culparum, infraque vicem debitam illius amoris.

Moyse  
et Elias.

Luc. 9. 31.

De passione agunt in gloria.

## PUNCTUM II.

*Luc. 9.32.* Quomodo se habuerint apostoli. *Gravati erant somno*; cæperunt cum Christo orare: sed victi sunt. *Apostoli dormiunt interim.* Ita contingit tepidis: qui proinde in oratione suâ non transfigurantur, sicuti fervidi; quibus convenit illud: *Melior est finis orationis quam principium*; quia in fine mutantur: tepidi remittunt, et sic fraudantur consolatione et fructu.

*Luc. 9.32 et 33.* Cùm *evigilantes* vidissent *majestatem ejus*, et duos viros qui stabant cum illo, atque hi pararent abire, ait Petrus obstupefactus ad Jesum...: *Faciamus tria tabernacula*. Proh, quanta erit Cœli jucunditas, quando sic Petrus captus est, vix tenuissimo illius indicio, ut sedem ibi æternam figere vellet, oblitus rerum omnium! *Quàm erit magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti! Quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*: præ quâ re S. Paulus omnia detrimentum duxit, habetque pro *Phil. 3. 8.* stercoribus. Sed nesciebat Petrus *quid diceret*, ebrius à suavitate spectaculi: et fortè, quia volebat impeditam passionem, de quâ loquebantur; sicut postea fecit, quando et à Christo objurgatus est. Verè nescit quid dicat, qui hanc vitam putat consolationis esse, cùm sit crucis: et nimium fallitur qui discrepare vult à Christo, quem sibi sequendum proposuit.

## PUNCTUM III.

Testimonium de Cœlo: *Nubes lucida obumbravit eos*. In nube, Spiritus sanctus intelligi potest, à quo abundancia donorum. Et *lucida* erat; non, ut olim ea, in quâ apparebat Deus, nebulosa quia umbræ cessabant, veritate exhibitâ: *Vox Patris de nube*: *Matt. 17. 5.* *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Idem in baptismo. Addit nunc: *ipsum audite*, ad commendandam ipsius doctrinam; qui alioqui dicebat: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*. In doctorem nobis datur: *Loquere igitur, Domine, quia audit servus tuus*. *Joan. 7. 26.* *1 Reg. 3. 9.*

## PUNCTUM IV.

Prosternuntur discipuli ad vocem. Bonus Spiritus solet initio turbationem incutere; mox pacem. Undè ait: *Surgite, et nolite timere*. Quòd si placida vox Dei sic commovet, quid illa terrificam judicantis? *Levantes autem oculos, neminem viderunt, nisi solum Jesum*. *Matt. 17. 8.* Sufficit mihi, abscedant licet omnes, tu me nunquam desere. Prohibuit manifestari visionem, *dominus* nec resurgeret, ad exemplum humilitatis: undè et factum, ut paucis suam gloriam exhibuerit, qui *Humilis et Jesus.* confundi et mori coram omnibus non erubuit.

## MEDITATIO XXIII.

*Filii Zebedæi petunt primas sedes.*

Marc. 10. Matth. 20.

## PUNCTUM I.

*Marc. 10. 35.* **QUOMODO** se insinuant. *Magister, volumus ut* *Ambitiosi.* *quodcumque petierimus, facias nobis.* 1. Prædixerat Christus de suâ passione, et resurrectione; sed ad illam non attendentes, ad gloriam tantum Resurrectionis sunt intenti. Sic ambitiosi agunt. 2. Modus etiam orandi est ambitiosus: *Volumus*, inquit; quasi eorum voluntas debeat esse ratio dandi. Nec habent resignationem, quia non addunt: Si tu vis, aut expedit. Denique cum præsumptione: *Quodcumque petierimus*; quasi nihil eis negari deberet. Nempè *Marc. 11. 24.* *abusi sunt Christi promisso: Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.* At petitio nasci debet ex amore Dei, non summet; et quæri debet ejus gloria, non propria. 3. Conspirant ambo fratres in vitium ambitus, et matris utuntur officio; quæ *Matt. 20. 20.* *conspirant ambitiosi.* *cessit cum filiis suis adorans*; pro reverentiâ, ad captandam gratiam. Solet ambitio velle se occultare; *S. Bern. serm. in Ps. 96.* *quare dicitur in Psalmo: Negotium perambulans in tenebris.* *Ps. 90. 6.*

## PUNCTUM II.

Exprimitur petitio. Christus ait: *Quid vultis ut faciam vobis?* Sciebat ipse, sed volebat ut ipsi ulcus aperirent suum. Nec promisit se facturum quicquid illud sit, quia non expedit: sicut Herodes fecit saltatrici. Petunt, *ut sedeant, unus ad dextram Christi, alter ad sinistram in regno ejus.* Tantum erant solliciti de Petro, ne sibi præferretur: ideo, quædam dignitatem habent, ambobus se donari loca petunt. Illo autem excluso, inter ipsos certamen fuisset de dexterâ. Sic ambitio est inquieta. Quàm melius sequi Christi consilium, eligendo novissimum locum, undè pax animi, et humilitatis fructus reportatur! Nota quòd ambitio circa corporalia et spiritualia quoque versatur. Isti fratres, si putabant Christi regnum fore corporale, coram Judæis talem primatum affectabant; si spirituale, etiam in illo præminere volebant, non tam sanctitate, quàm honore.

## PUNCTUM III.

Christus redarguit petitionem: *Nescitis quid petitis.* Errores in orando. 1. Si quid terrenum petatur, sine resignatione. 2. Si aliquid excellens, licet spirituale, petatur sine resignatione, et non purâ intentione. 3. Si quid valdè extraordinarium, ex ignorantia, aut humilitatis defectu; ut revelationes, et singulares favores. 4. Si talia, non se aptos præ-

bendo, sed precibus tantum contendendo, qui orant, petant. 5. Si quæ certaminis sunt præmia, citra illud petantur. Ex aliquo horum defectu redarguta est petitio duorum discipulorum, juxta varias interpretationes. Cavebo, gratiam petam orandi, sicuti oportet.

## PUNCTUM IV.

Marc. 10. 38. Christus ostendit defectum petitionis: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* 1. Beneficium est, non tantum petita dare, sed negare etiam, docendo quid, aut quomodo oporteat petere. Ut cum, iisdem petentibus ut ignis descenderet in Samaritas, respondit: Luc. 9. 55. *Nescitis cujus spiritus estis: Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.* 2. Suaviter eis ostendit, ab exemplo sui, viam quam perveniant ad loca quæsita, et efficacem rationem insinuat. Nam si ipse calicem debuit bibere, quomodo non servi? 3. Calicem et baptismum vocat passionem suam, à more, quo solebant olim malefactores, vel venenato poculo, vel aquis suffocari. Per quæ etiam significatur duplex passionum genus; internarum animæ, et externarum corporis. Ait autem: *Quem ego bibo*: quia in desiderio semper ei erat, et re, proximè erat bibiturus. 4. Est triplex calix, passionis, gloriæ, pænæ: ad primum hortatur nos, ut secundum participemus. Age, anima, bibe. Cogitabo quæri ex me: Potes ne? Excutiam meipsum.

Christus negat petita.

Passio medium ad gloriam.

Calix et Baptismus.

Calix triplex.

## PUNCTUM V.

Consentiunt et dicunt: *Possumus.* 1. Talis promptitudo oritur aliquando ex ambitionis spiritu, quo ita ferimur in optata, ut difficilia etiam media non recusemus: 2. Ex fervore inexpectati, ut dulce inexpectatis bellum: atque generatim solum ad patientiam quod sic non tantoperè perterret. 3. Ex Spiritu divino, quo *omnia possumus in eo qui nos confortat.* Porro beneficium Dei est, cum calicem suum alicui bibendum propinat; uti his fratribus, quorum alter martyrium obiit, moriendo; alter, patientiam tantum; undè geminus ordo, alter martyrum, et alter confessorum comprobaretur. Ad eorum promptam bibendi calicis voluntatem respondet Dominus: Bibituros quidem; dare autem primas sedes, non esse suum, sed deberi iis, quibus parata sunt à Patre. Ubi sapienter, non rejicit illos à petito gradu: sed docet, non respectu propinquantis, aut gratificandi gratiâ, petentibus illum concedi; sed juxta divinam dispositionem, quæ destinavit eum magis merentibus; è quibus si fuerint, etiam adire poterunt.

Matt. 20. 22.

Marc. 10. 39.

Offerre se super hæc.

Inconsideratè.

Spiritu Dei.

Phil. 4. 13.

Sola merita extollunt.

## PUNCTUM VI.

Indignantur reliqui discipuli. Mirum! cum audissent objurgatam fratrum ambitionem, ipsi in idem vitium incurrunt; indignantes, quod illi præferri se ipsis voluerint. Sed mansuetissimus Dominus

Ambitio ut pesis serpet.

adscitos omnes admonet, exemplo duplici proposito: altero terrenæ potestatis, quæ in eo ponit excellentiam, ut dominetur; idque est fugiendum: altero suū, quòd imitari debeant. Nam cum Dominus esset et magister, pro ministro se gerebat; neque principari aliis quærebat, sed salvos facere suo sanguine. Ita, qui præstat dignitate, non amet exercere imperium, sed servire utilitati suorum.

Christum  
sequere.

### MEDITATIO XXIV.

*De Lazaro mendico, et de Eputone.*

Luc. 16.

#### PUNCTUM

LAZARI vita fuit exercitium patientiæ, quâ sanctitatem perfectam est consecutus. 1. Toto corpore ulcerosus: ita ut, se movere non valens, ad januam divitis jaceret. Et ferebat, conformans se divinæ voluntati. 2. Extremè pauper. 3. Ita desertus, ut, cum saturari vel de micis vellet divitis, nemo ei daret. 4. Tam miser, ut canes lingerent plagas, nec abigere posset. Vel, si id, innatâ canibus pietate, faciebant, poterat inde eò magis cruciari, quòd homines essent iis crudeliores. Typus fuit Christi. Singula illorum pati, est tolerabile, quando aliunde suppetit solatium: at omnia simul! id est omni penitus levamine carere.

Lazari  
patientia  
apparet  
ex qua-  
tuor.

#### PUNCTUM II.

Mors Lazari: vilis coram hominibus, pretiosa autem in conspectu Domini: quando et angeli, non unus, sed plures, portaverunt animam illius in sinum Abrahæ, incredibiliter exultantem: cui gratulabantur ipsi angeli, dæmones autem confundebantur. Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. At nunc quantâ gloriâ fruitur in Cælo? Momentaneum et leve tribulationis, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus in ipso operatur. Ulcera, paupertas, desolatio, miseria; transiêre omnia: successêre his contraria; et quidem supra modum, et æstimationem mortalium.

Mors La-  
zari.  
Ps. 115.

Num. 23.  
10.

2 Cor. 4.  
17.

#### PUNCTUM III.

Honor Lazari habitus à Christo. 1. Ut nomen illius proderet, ad memoriam sempiternam, cum divitis suppresserit: ut intelligant justi quamvis contempti, curæ se esse Deo, et in tempore, ab illo honorandos. Ubi nunc forent Francisci, et similia nomina, nisi sanctitas Deo illos probâset? 2. Quòd Christus canonizavit Lazarum, ut pro sancto haberetur et coleretur: Nimis honorificati sunt amici tui, Deus. Idque facit potissimum ob meritum patientiæ, quæ præcipuum est sanctitatis argumentum. Nam qui se subijcit ita Deo, ut omnia, ejus causâ, ferat patienter, quomodò non in aliis omnibus eidem obediat? Itaque in sanctis tria hæc

In hæc  
vitâ hono-  
ratur La-  
zarus.

Canoniza-  
tur.  
Ps. 138.  
17.

spectanda sunt : *Vita* , *mors* , *honor* à Deo ipsi habitus.

## PUNCTUM IV.

Vita Epulonis et vitia.

Opposita vita Epulonis. Ad fastum induebatur purpurâ , et splendida exhibebat convivia ; ob molliem induebatur bysso , et indulgebat genio. Avarus et crudelis in pauperes ; et similes habens famulos , qui nec de micis darent ; pejores ipsis canibus. Hunc proindè Christus detestatus , nec nominare quidem voluit : quia *nomen impiorum delebitur*.

Eccli. 41.  
14.

## PUNCTUM V.

Mors in-

felix.

Job. 21.

13.

Luc. 16.

22.

Sap. 5. 8.

Cruciatu

ejus.

Mors epulonis misera : *Ducunt in bonis dies suos , et in puncto ad inferna descendunt*. Mortuus , inquit , *est dives , et sepultus est in inferno*. Hic finis divitiarum , deliciarum , superbiæ : *Quid nobis profuit superbia , et divitiarum jactantia quid contulit nobis ?* Quanta incurrit tormenta , exposuit Christus. 1. Pro purpurâ et bysso , operiebatur flammis. 2. Pro gulâ , siti cruciabatur intolerabili. 3. Pro immisericordi pectore , non impetravit vel guttam aquæ ad refrigerium. 4. Super hæc videbat Lazarum in sinu Abrahamæ gaudentem. Discimus supplicia respondere qualitati culparum.

## PUNCTUM VI.

Pre vo-

luptate

hujus

vita ge.

Justum Dei judicium erga utrumque. Nam respondit Abraham diviti : *Fili , recordare , quia recepisti bona in vitâ tuâ , et Lazarus similiter mala : nunc*

*autem hic consolatur , tu verò cruciaris*. Quasi utrobique nequeat esse eadem sors , vices mutet. *Tu recepisti bona* , quibus abusus es fruendo ; iste , mala , qui patienter ferendo consolationem promeruit. O malim pali in hac vitâ , siquidem ita fit ! Sed quod gravissimum est , judicium hoc est immutabile : *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est ; ut non detur commeatio in æternum* , et ultrâ. Petit saltem moneri fratres suos , ut caveant sibi à simili casu. Non ex caritate fratrum petit ; sed quia sibi futuri essent ad pœnam , quos malo exemplo corrupisset. Sic omnia in malum malis cooperantur ; bonis autem , in bonum. Negatur ei hoc ipsum , quia plus valere debet prophetarum auctoritas , quàm apparentium ex mortuis testificatio. Et si Scripturæ sacræ non credunt , faciliùs eludent apparitiones. Infigam cordi meo divinæ Scripturæ serias comminationes , ut non peccem Deo.

bennam  
subit.

Luc. 16.

25.

Contrâ

Lazarus.

✱. 26.

Omnia

malis coo-

perantur

in pœ-

nam.



## DE MIRACULIS

## A CHRISTO FACTIS

Circa homines, vel animis, vel corporibus  
consulendo, vel utrisque.

## MEDITATIO XXV.

De conversione Magdalene. Luc. 7.

## PUNCTUM I.

*Luc. 7. 37.* STATUS Magdalene. *Erat in civitate peccatrix;*  
*Peccatrix. Eph. 5. 3.* palam talis: et de luxuria intelligi solet, licet non  
nominetur; nam nec nominari vult Paulus, nedum  
*Marc. 16. 9.* esse. Etiam dicitur ejecisse Christus ex ea *septem*  
*daemona*: quasi universalitatem criminum, et spe-  
ciatim illa septem lethalia, quorum est diabolus ins-  
tigator. Hæc tamen invenit remedium. Ne diffidam,  
dum imitor pœnitentem.

Occasio  
conversio-  
nis, con-  
cilio.  
*Oscia II.*  
4. Credendum eam audisse Dominum concionantem;  
et illius mansuetudine cognita, ausam esse accedere;  
sed præsertim intus illustratam, ut intelligeret quàm  
præstaret illum amorem à creaturis in Creatorem con-  
vertere. Atque istud est trahi *in vinculis caritatis*. Et  
obedivit festinanter: non expectato tempore, vel loco

## De conversione Magdalene. 359

opportuno, irruit convivio: *Non tardes converti ad Do-*  
*minum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet*  
*ira illius.* *August. 1. 50. Hom. 1. 23. Eccl. 5. 8.*

## PUNCTUM II.

Fervor pœnitentiæ. 1. Elucet rara fides de Chris-  
to, quod Deus esset, qui posset peccata remittere, *Magdale-  
nae Fides.*  
et quod cordis arcana nôsset: undè illa nihil protulit  
verbo. Sola hæc legitur accessisse ad Christum pro  
animæ remedio. 2. Humilitas, quâ posthabuit con-  
fundi ab hominibus: *Stans retrò secus pedes ejus: in-*  
*dignam se ducit conspectu Christi.* 3. Vis amoris, cum *Humilit.  
Luc. 7. 38.*  
dolore, et devotione; ut ex signis apparebat: *Lacry-*  
*mis cepit rigare pedes ejus;* deplorans malos suos gres-  
sus, et lavari gratiâ Christi cupiens. *Capillis tergebat,*  
ut abstergerentur culpæ. *Osculabatur,* ut pacis et re-  
conciliationis osculum impetraret. *Ungebat,* ut un-  
geretur ipsa meliori unguento virtutum, absterso fœ-  
tore vitiorum. 4. Fecit instrumenta pœnitentiæ, quæ *Pœniten-  
tia.*  
fuerant vanitatis: capillos, unguenta, oculos; im-  
plens illud: *Sicut exhibuistis membra vestra servire in-*  
*munditiæ et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete*  
*membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Et *Rom. 6.  
19.*  
illud: *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à Deo: de-*  
*cies tantum, iterum convertentes, requiretis eum.* *Bar. 4. 28.*

## PUNCTUM III.

Judicium temerarium pharisæi duplex. 1. de Chris-  
to, quod non esset propheta, siquidem ignoraret *Duo judi-  
cia Pha-  
risæi.  
Luc. 7. 39.*

De Christo. qualis esset mulier; vel, si nōsset, quōd tangi ab eā se permetteret. Scilicet erat ex illis, de quibus  
 Isa. 63. 5. *Isaias: Qui dicunt: Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es: de quibus subdit: Isti sumus erunt in furore meo, ignis ardens totā die.* Sciebat igitur Dominus qualis esset: sed tangi sinebat se, ut illa inde sanctificaretur. 2. Judicium temerarium de muliere, quōd perseveraret esse peccatrix; cūm ex signis colligere deberet contrarium. Et sunt tales, qui, quem semel apprehenderunt esse malum, de eo nunquā benē sentiant, quibuscunq̄ in contrarium indicis datis: quod maximē superiores vitare debent, nam præbent subditis desperandi occasionem. Et alienum est à bonitate Dei, qui pœnitentem restituit primo favori.

## PUNCTUM IV.

Sapientia Christi corripientis. CHRISTUS utitur parabolā ad redarguendum pharisæum pro Magdalenā; qui tamen intra se tantūm cogitaverat, quōd non esset propheta, Ostendit autem Christus se esse, qui etiam cogitationes pharisæi pervideret, et ipsos Magdalenæ affectus: undē pro hāc contra illum pronuntiat. Utitur prudentiā singulari, quasi veniā petiā: *Simon, habeo tibi aliquid dicere.* Nec statim redarguit, sed insinuat se per parabolam. Ita et Nathan ad Davidem. Nempe magnates, et qui sunt auctoritatis alicujus, debent modestē admoneri.

Luc. 7. 41, etc. Parabola est de duobus debitoribus. 1. Creditor

est Deus, apud quem peccatores sunt rei pœnæ: et non potest decipi aut declinari. 2. Debitoribus sunt homines, pro varietate criminum: inter quos me ponam. Et latent nos debita; quæ minimē creditorem, pro quibus orabat ille: *Ab occultis meis munda me.* 3. Non habemus unde reddamus, nisi per merita passionis Christi; propter quem nobis omnia Deus condonat, ut inde provocet ad redamandum. Et pendet hoc ex intimā cognitione et æstimatione culparum; quas superbi minū ponderant, minūque se debitoribus agnoscunt: atque adeo minū amant. Magni autem peccatores, à Deo illuminati, pro merito æstimant remissionis beneficium: undē plūs amant.

## PUNCTUM V.

Christus applicat parabolam. 1. Ait: *Vides hanc mulierem?* Ab exemplo peccatricis confundit superbū, qui se justum existimat: sicuti alibi ait: *PUBLICANI ET MERETRICES PRÆCEDENT VOS IN REGNO DEI.* Et fit ut peccator per ferventem conversionem assurgat ad altiorem gradum caritatis, quā justus tepidus, per multos actus similes. Et hoc est, *ablucere sordes in spiritu judicii, et spiritu ardoris.* 2. Sic applicat: Hæc mulier multū se debere agnoscit, ideōque multū amat, ut ei remittatur debitum: *Propter quod remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quōd autem multum amet, indicio sunt quæ agit: qualia tu mihi non exhibuisti.

## PUNCTUM VI.

Luc. 7. 48. **Christus** alloquitur mulierem : *Remittuntur tibi*  
 Absolutio *peccati* : haud dubiè plenissimè , etiam quoad om-  
 sacerdo- nem poenam. Quo gaudio exceptit ! Et nobis in Sa-  
 tis. cramento idem fit , si dispositione simili accedamus ,  
 cum eadem verba proferuntur. Cùm audientes mira-  
 rentur , modestè Christus beneficium remissionis re-  
 fert ad fidem mulieris. Cùmque illa nec ità avel-  
 leretur à Christo , jussa est abire : *Vade in pace.*  
 ¶. 50. **Et non addit** : *Et jam amplius noli peccare* ; quia sic  
 Joan. 8. culpas remiserat , ut victoriam etiam de pravis pas-  
 11. sionibus ei largiretur in posterum.

## MEDITATIO XXVI.

## Conversio Samaritanæ. Joan. 4.

## PUNCTUM I.

Joan. 4. 6. **FATIGATUS** ex itinere , *sedebat sic supra fontem.*  
 Jesus it *Hora erat quasi sexta.* Pedes iter faciebat , et cum  
 pedes. labore quærebat ovem perditam. Gratias agam ,  
 compatiar fatigato propter me ; non defugiam similes  
 Sedet ut labores , propter animas. 2. *Sedebat supra fontem ;*  
 venetur. non tam captans suam quietem , quàm occasionem  
 Sap. 6. 14. benefaciendi : *Præoccupat , qui se concupiscunt , ut*  
 Isai. 65. 1. *illis se prior ostendat.* Et ut apud Isaiam : *Qui non*  
 Providen- *quæsiverunt me ; dixi : Ecce ego , ecce ego.* 3. Licet  
 tia Dei. mirari arcanum divinæ Providentiæ in disponendis

occasionibus ad homines lucrandos ; ut in hâc mu-  
 liere peccatrice , nil tale cogitante , nisi ut aquam  
 domum ferret.

## PUNCTUM II.

Christus petit aquam. 1. A Samaritanâ : *Da mihi* Joan. 4. 7.  
*bibere.* Sitiabat quidem ille , quia fatigatus , et in Sitit ani-  
 meridie : at magis animam sitiabat. O si exhibere illi mas.  
 multas queam ! Exhibebo meam : bibe , ô Domine ,  
 quantum libet. 2. Recusat mulier ; imò accusat :  
*Quomodo tu , judeus cum sis , bibere à me possis ?* Sic  
 plerique gerunt se erga Deum , ab eis aliquid flagi- ¶. 9.  
 tantem , sive per inspirationem , sive per legem Hono-  
 suam , sive per superiores , sive per pauperes egen- parcus  
 tes : et prætexunt excusationes futes. Nimirum , Deo.  
 non expendant quis est qui ab eis petit. 3. Non  
 exacerbatur Dominus responso ; sed provocat etiam Provocat  
 ad petendum vicissim à se meliora : *Si scires donum  
*Dei* , quale ac quantum possim tibi dare , et quis Christus  
 sum ego , qui peto à te ; utique non præbuissem tan- avarum.  
 tum mihi aquam , sed aliam à me meliorem flagi- ¶. 10.  
 tâsses , aquam vivam , quam et dedissem tibi pro in-  
 genitâ liberalitate. Ut observat , quod ait , *forsitan*  
*petisses* ; quia nihilominus fuisset tibi liberum : at de-  
 dissem petenti , sine debito. O sciam et intelligam  
 doni hujus magnitudinem , et offerentis dignitatem ,  
 et petam instanter ! *Erubescat* , ait D. Augustinus ,  
*humana pigritia , quia plus paratus est Deus dare , quàm*  
*nos accipere.* Sed vicissim , quod ille à me petit dabo :*